



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XVI. De Joanne Evangelista.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XVI.

D E

Joanne Evangelista.

Christus Salvator noster post resurrectionem suam gloriosam, ut legitur Joan. cap. 21. Petro, quem jussit joves agnosque suos pascere, significaturus, quae morte aliquando clarificaturus esset Deum, praedixit in senectute cruci affigendum; cumque ipse ambulans jussus sequeretur; & conversus se insequentem vidisset Joannem Apostolum, cupiens scire an hic quoque, praeter ceteris dilectus Apostolus, hujusmodi vitae exitum esset habiturus, desuper Christum sic interrogat. Domine hic autem quid? cui respondit Dominus. *Sic eum volo manere donec veniam.* Ex quibus verbis statim fuit orta occasio opinandi Joannem non moriturum. An vero mortuus fuerit, vel non, in praesentiarum controversatur. Nondum vitam functum, teste Barradio in loc. cit. multorum est opinio, quae his fulcitur adminiculis.

I. Quod Joannes ante diem ultimum Judicii universalis mortem non sit subiturus evincunt verba Christi. *Sic eum volo manere donec veniam.* Quia de proprio adventu utique est Christus intelligendus. Est autem ille vel primus in hunc mundum, quando

in propria venit; vel secundus, dum venerit judicare vivos & mortuos, de quo necessarium intelligenda Christi verba; quorum utique sensus genuinus est. Volo sic eum manere donec veniam suprema die mundi perituri. Legunt quidem aliqui. *Si eum volo manere.* Sed Cardinalis Toletus cum Augustino aliisque latinis bene observat, *To. Sic*: adjunctum verbo de praesenti, *Volo.* Significare idem quod. *Sic.* Profecto non absque ratione discipuli; aut, ut Estius sustinet, alii fratres dixerunt, quod Joannes non morietur. Sed neque Joannes negat verum dixisse fratres: quin ait in Christi verbis id explicitè non contineri, quod nunquam esset moriturus; quamquam satis aperte indicabant, quod non esset moriturus ante adventum Christi. Corrigit ergo solum fratrum opinionem; qui, etsi non putarant, Joannem victurum aliquot saeculis; cum adventum Domini instare crederent, tamen existimabant, tunc mortem non gustaturum. Nam istud *Donec veniam.* secundum adventum Christi denotat. Sic enim I. Cor. 11. *Mortem Domini annuntiabit donec veniat.* Et *Manere* intelligitur dictum pro eo, quod est remanere in vita; quia opponitur

S

morti,

mortem, quam Petrum passurum Christus prædixit. Adedque ex correctione non sequitur, Joannem non mansurum in vita usque ad adventum Domini. Tantum enim corrigit Joannes opinionem dicentium *non moritur*, id est, nunquam morietur. Denique, quod sic intelligi debeant, facit quod absolute dicat Dominus. *Donec veniam*. Sicut *cit. loc.* ad Cor. Non autem. *Donec veniam ad eum*. Quare significatur adventus Christi Generalis.

II. Joanni dicitur Apoc. cap. 10. *Oportet te iterum prophetare Gentibus & populis, & linguis & Regibus multis*. Hoc autem necdum executus fuit, quia deinceps Ephesi perseveranter moratus fuit. Implebit ergo mandatum illud in fine sæculorum; ut quemadmodum tunc Anti-Christi furori & grassanti tyrannidi occurrent Henoch & Elias, hic ex lege scripta, ille ex lege naturæ; ita ipse Joannes Hoplomachus in arenam descendet ex lege gratiæ; quæ, cum sit cæteris præstantior, præstantiorem ablegabit ducem; scilicet dilectissimum Domini discipulum, honoris Magistri sui summopere studiosum, qui de Anti-Christo præ cæteris omnibus accepit revelationem manifestam. *Ex hoc dicto loco, inquit Aretas Archi-Episcopus Casariensis, Apoc. cap. 10. opinantur multi Joannem usque ad sæculi consummationem vivere, ac venturum circa tempora Anti-Christi cum Henoch & Elia.*

III. Christus Apostolis suis omnibus singulare beneficium contulit, ut per varios cruciatus pro ipso sanguinem suum profunderent; cæloque triumphantes invecsti ac Martyrii gloriâ condecorati ejus throno assisterent. Quæ igitur causa; cur dilectissimum discipulum hac speciali gratia, tantoque honore non affecerit? Cur, quod maxime optabat Joannes, non est largitus Dominus ei, à quo privilegium amoris præ cæteris obtinuerat! Neque enim dubium esse potest Joannem Martyrii flagrasse desiderio,

illudque sæpe à Magistro suo postulasse: cui certe non defuit ad cruenta certamina animus generosus, quem ad Christi interrogationem, an posset calcem suæ passionis bibere, id est, mortem acerbissimam perferre, imperterritè respondendo manifestavit Matth. cap. 20. Cum ergo hunc Apostolum morte violenta vitam finivisse nemo tradat, plusquam verisimile est, quod ab Anti-Christo cum Henoch & Elia Martyrio afficietur & compos futurus sit sui desiderii; perfectèque Domini illud implebitur verbum. *Calcem quidem meum bibetis*. Fuit quidem Joannes Romæ Domitiani tempore, judicatus Senatu in dolium ferventis olei missus: verum cum putior & vegetior inde exierit, quam intraverat, ut Tertullianus *Lib. de Præscript.* Eusebius *de Demonst. Evang. lib. 3. cap. 7.* Hieronymus *lib. contr. Jovin. referunt*, Christus tam grandi miraculo eum in vita conservare voluit, eumque manere, donec veniat: quod pariter Ecclesia insinuat dum Joanni in officio Ecclesiastico *Antiph. 4. laud.* applicat illud Christi. *Luc. cap. 9. Sunt aliqui de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.*

IV. Autoritate solidissimisque testimoniis plurium insignium Scriptorum, veterum æquè ac recentiorum stabilitur hæc de Joanne adhuc vivente celebris opinio. Hippolytus, Clementis Alexandrini discipulus, Episcopus Portuensis & Martyr sub Alexandro Severo in *Orat. de consum. sæculi. Biblioth. PP. tom. 5.* scribit. *Prior Domini adventus præcursorem habuit Joannem Baptistam; posterior vero, quo venturus est in gloria, Henoch, Eliam & Joannem exhibebit.* Eadem leguntur apud S. Ambrosium: *in Luc. trem.* apud Doroth. *in Synop. S. Joannes Damascenus Orat. de Transfig. Joannes, inquit, usque ad adventum Christi expeis omnino mortis perstiturus est.* Apud Photium *Biblioth. c. 229.* Ephrem Patriarcha Alexandrinus, qui obiit an. 344. ait. *Virginem autem Joannem*

sic superesse, ut Enoch & Elia, traditione habemus: & quod in Evangelio habetur in hunc sensum trahitur. Et respondente Domino. Si cum volo manere donec veniam; nonne illum mansurum in hunc usque diem veritas pradicat. Accedit Gregorius Turon. Hist. Franc. Lib. 1. cap. 26. Hic fertur, non gustare mortem donec iterato Dominus iudicaturus adveniat: ipso in Evangelio dicente. Si cum volo manere. &c. Simeon Metaphr. in vit. Joannes Henoch & Elia coniungitur. Theophylactus in Joan. Quidam dicunt Joannem adhuc vivere, & ab Anti-Christo occidendum cum Elia pradicantem Christum &c. Ex recentioribus traditionem hanc propugnant Trapezuntius in Libello de verbis illis. Sic eum. Ambros. Catharinus in Gen. cap. 2. Alphons. Salmeron aliique: qui inde illam confirmant, quod Joannem nemo viderit mortuum; nemo ejus ossa aut reliquias repererit, quas alioquin Deus honorari voluisset, sicut in honore habentur reliquiae aliorum Sanctorum Apostolorum. Refertur quoque apud citatum Metaphrastem, quod Joannes civitatem ingressus, discipulis praeциens, ut Ligonem ac Sarculum secum adferrent; ac protinus in montem quendam ascendens, stansque in ipso, dixerit. Hic fodite. Deinde, ut se eorum consignasset, ac Christo se commendasset, & pacem suis imprecatus fuisset; in foveam pallium dimiserit, & ipse quoque in eam descendit. Die autem illucescente, Pastor nuscquam comparuerit. &c. &c.

Item Prologus Hieronymi in Evangelium Joannis haec habet. Et hic est Joannes, qui sciens supervenisse diem recessus sui, convocatis discipulis suis in Epheso per multa signorum experimenta promens Christum, descendens in defossum sepulturae sua locum, facta oratione positus est ad patres suos; tam extraneus a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus. Quibus verbis non ait tunc mortuum: sed potius insinuat

namquam vita excellisse. Imo creditur Historia, quae refert, Joannem defuncto similem cubasse, & cum mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem; & donec Christus veniat, sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare, qui pulvis creditur, quod ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli.

S. Joannem juxta Generale hominibus statutum, quo semel moriendum, extremum diem obeundo, naturae debitum persolvissse potentissima urgent argumenta.

I. Joannes, dum refert fratrum opinionem, quae non esset ipse moriturus, eam corrigit his verbis. Non dixit Jesus non moritur. Si ergo hoc non dixerit, unde constat, quod non sit mortuus? Non ex illis verbis. Sic eum volo manere. Quia haec non significant illud, quod fratres inde collegerunt. Sed, ut Petri repelleret curiosam interrogationem, conditionaliter fuit locutus, scilicet: Etsi ego vellem; ut viveret usque ad meum adventum; quid hoc ad te pertinet. Vel, ut Augustinus interpretatur. Sic eum volo manere, quia nolo ipsum mortem violentam subire, donec veniam, ut nihil morte placida in caelum recipiam. Corrigit ergo Evangelista illorum erroneam opinionem, quam ex illo Christi responso hauserant. Unde Euthymius. Quis relinquitur sermo asserentibus Joannem non esse mortuum, cum jam ipsemet luculenter clamet, quod errent, qui hoc suspicantur?

II. In Generali Concilio Ephesino anno 431. celebrato fit mentio reliquiarum S. Joannis in hac Periodo. Sacras Sanctorum triumphatorum Martyrum, maxime vero Beatissimi Joannis Theologi atque Evangelistae reliquias videndi, easdemque complectendi desiderio flagrantibus &c. Deinde Caelestinus Summus Pontifex in Epist. ad Synod. Ephesinam scribit. Joannis reliquias praesentes honoratis &c. De iis quoque agitur in Concilio Generali Nicæno II, Act. 5. prope finem.

finem. Deinde Chrysoſtomus *hom. 26. ad Hebr.* ait. *Apoſtolorum plurimorum oſſa neſcimus ubi jacent.* Petri & Pauli, Joannis & Thomæ manifeſta ſunt ſepulchra. Idem *in ſerm. apud Metaphraſten.* Dicit Joannem poſt mortem, curare Ephēſum, tanquam adhuc viveret.

III. Eccleſia Catholica ſolemni cultu proficitur Joannem Evangeliftam ex hac vita migraffe, quando ſolemniſter illius Feſtum die vigefima ſeptima Decembris celebrat, ejuſque interceſſionem etiam in Litanis majoribus flagitat; quod non viatoribus; ſed comprehenſoribus, æternaque Dei viſione fruētibus fieri debet.

IV. Quamplurimi Sancti Patres primorum ſæculorum ſuo confirmant calculo Joannem naturali morte obiſſe. Polycrates, Eccleſiæ Ephēſinæ Epicoſopus, apud Eufebium *H. E. Lib. 3. cap. 31.* in Epiftola ad Viſtorem Papam ſcribit. *Hiſ accedit Joannes, qui ſupra pectus Domini recubuit; qui cū eſſet Sacerdos Petalon (Laminam auream juxta S. Hieronymum, Mitram juxta alios) geſtavit, qui denique Martyr & Doct̄or fuit, & Ephēſi etiam obiit.* Idem perhibent S. Irenæus & apud cit. Eufeb. Origines, Tertulianus *Lib. de anima cap. 59.* *Obiit Joannes, quem in adventum Domini remanſurum fruſtra fuerat ſpes.* S. Hieronymus *Lib. de Script. Eccleſ. Contraſtus ſenio Joannes 68^{vo} poſt Paſſionem Domini mortuus eſt anno.* Id eſt, anno centefimo, ſeu, ut quidam volunt, 97^{mo} ætatis ſuæ anno. S. Epiphanius *heres. 79.* memorat, quod Joannes propriis ſuis precibus obtinuerit admirandam dormitionem ſuam. Mortuum fuiſſe, præter S. Auguſtinum cenſent Iſidorus, Beda, Ufuardus, Honorius, Auguſtodunenſis, Haymo, Nicephorus, Conradus Uſpergenſis, Albertus Stadenſ. Bonavent. &c. ut meritò Baroniſ *tom. 2. Annal. ad an. Chriſti 101. n. 3.* prætermittenda ducat innumera penè recentiorum Scriptorum teſtimonia, ac eorum

præcipuè, qui in ipſum Joannem Evangeliftam commentarios edidere: cū ſatis ſuperque hiſtorica veritati videatur eſſe conſultum; quæ ex ſolutione in contrarium obſtantiura argumentorum adhuc magis confirmatur.

Ad Primum Reſpondetur. In textu Syriaco, Græco, & apud plures Græcos interpretes, item in ſex exemplaribus antiquioribus Latinis, apud Cornel. Janſenium *lprent. com. in h. l.* habetur. *Si eum volo manere.* hecque ita haberi in Codice Arabico ante anno 700. translato teſtatur Clenardus in *Epiph. ad Rutger. Reſcium.* Unde miratur Eſtius *annot. ad h. l.* in Bibliis Sixtiniſ retentum. *Si eum &c.* putatque hoc proveniſſe ex officio Eccleſiaſt. S. Joannis, in quo *Sic* legitur quia non additur, nec addendum erat. *me ſequere*, quod officio non congruebat. Proinde ne imperfecta & ſuſpenſa eſſet oratio; placuit *Si* mutare in *Sic*. Senſu tamen ſalvo; quia *Sic* includitur in eo, quod eſt *manere*. Itaque ſenſus eſt. *Si ſic* (ut Chryſoſtomus & Euthymius legunt) eum volo manere ſuperſtitem; & ut modo reverà volo, donec veniam, quid ad te? Ad ea, quæ tibi dixi, nihil facit: ſive enim maneat, ſive non, qualiſcunque exitus ejus futurus ſit, ad te non pertinet.

Quare non obſtat, quod Toletus & Latini obſervant, quod *Si* æquivalcat *Sic*. Licet enim Joannes ſcripſerit Græcè, ut communis fert opinio, Chriſtus tamen locutus eſt Hebraicè. Hebræi verò, pro ſubjunctivo, quo carent, utuntur indicativo cum particula *chi*, *him*, aut *chahaſer*. Id eſt. Quoniam, *Si*, enim. Et ita ſenſus fuit ambiguus; etiam Apoſtoliſ, ut interpretes obſervant.

Neque illa *Donec veniam* neceſſariò ſunt intelligenda de ultimo Chriſti adventu ad iudicium univerſale. Chryſoſtomus quidem, Oecumenius, Theophylactus & alii apud Dorotheum in *Synop. de Joan.* quos ſequitur

Cardinalis Toletus, interpretatur de adventu illo, quo Dominus Judæos per Romanos devastavit & urbem eorum subvertit, in peccatorum, potissimum infidelitatis, eorum promeritam pœnam, & justam vindictam. Etenim in Scriptura Sacra sæpè, quando Deus punit malos, advenire & egredi dicitur. Quo pacto descendisse Deus dicitur, cum Sodoma punienda *Gen. cap. 19.* Joannes autem, cæteris Apostolis Martyrio affectis, usque ad illa tempora in vivis permanfit. Et hoc prædixit Christus. Sic volo manere eum, donec Judæos puniturus veniam. Verùm doctissimus Maldonatus hanc interpretationem violentam & minimè probabilem censer. Et quis sibi persuadebit Christum venisse ad Joannem in destructione Jerosolymis, aut illum terminum adventus sui subintellexisse; quando hæc annis 28. præcessit? constat siquidem tot annis Joannem supervivisse. Melius ergo locum illum interpretantur Emissenus, Augustinus, Rupertus. Sic eum volo manere, donec (subintellige ad eum) veniam. Id est, volo Joannem in mundo agere sine violenta morte, donec ego naturali morte suaviter è vivis illum accersam.

Ad Secundum Respondetur. Quod Henoch & Elias Christi postremum adventum præcessuri sint, qui relapsa restaurent, communissima est à Patribus accepta opinio per modum traditionis. De his duobus, juxta veriore interpretationem multa narrantur *Apocalyp. cap. 11.* de tertio nulla fit mentio. Nulla autem videtur posse reddi ratio, cur non fuerit additus tertius; si verum est, tertium fore Joannem. Imo de hoc potissimum mentio fieri deberet, qui esset præcipuus ex lege gratiæ testis. Nihil adjumenti nancisci possunt ex *cit. cap. 10. Apocalyp.* qui vitam temporalem Joannis persuadere volunt. Prophetavit ipse Regibus multis, dum Reges omnes terræ per Anti-Christum suis regnis privandos prædixit, huicque subjiciendos &

cum ipso occidendos plus simplici vice vaticinatus fuit. Ita Ribera &c. &c. in *H. L.*

Ad Tertium Respondetur. Nequaquam debet Joannes cenferi Laureolâ Martyrii privatus; quia Romæ ea tormenta passus fuit, quæ mortem naturaliter intulissent, nisi miraculo præpedita fuisset, ut perhibent Tertullianus, Hieronymus &c. Quare etiam Martyr à Patribus subinde vocatur. Quod autem in senectute bona placidam dormitionem acceperit, inter alias causas quædam legendaria hanc referunt: quia cæteri discipuli in Passione Domini omnes fugerunt, seque absconderunt; solus Joannes; licet ab initio etiam sese proripisset, mox tamen rediit, Christoque Magistro suo morienti sub Cruce adstitit; atque na quodammodo passus est in Christo patiente, & doloris gladius animam ejus transfixit. Quam ob causam neque Beatissima Christi mater, nec Maria Magdalena sanguinis effusione Martyrium passæ sunt. Verùm hujusmodi conjectiones frivolæ cum communi Theologorum doctrina conciliari non poterunt.

Ad Quartum Respondetur. Abundaverint quidam pauci Scriptores in suo sensu: alios, & numero & autoritate Superiores aliter sentire, patet ex argumento quarto in contrarium. Quod nemo Joannem viderit mortuum, etsi non referat; inde tamen non probatur adhuc vivere. Plurimi fide digni perhibent ipsum naturali morte ex hac vita migrasse. Reliquias illius reservatas supponit Papa Cælestinus *L. C.* Sed si etiam nullæ extarent, nemo inde evincet ipsum Joannem adhuc vivere, siquidem nullæ de Sancto Josepho, Beatæ Mariæ Virginis Sponsi, reperiuntur reliquæ, neque tamen inde prætenditur adhuc vivere in hoc mundo. Quæ ex Simeone Metaphraste depromuntur, & absurdo & falso laborant: Cui quis commodè regeret illud Epimachi, quod Cicero maximi fecit, & frequenter in ore habuit

habuit. *Sobrius esto & memineris virum, qui sic sapiat, non oportere esse credulum.* Certè S. Augustinus, vir perspicacissimi ingenii, neque ab antiquis traditionibus multum alienus, *tract. 124. in Joan.* hæc, ut apocrypha referens subdit. *Huic opinioni supervacaneum existimo reluctari &c.* Eam proinde nullo modo audiendam asserit Barradius in *Joan. cap. 21. Parvi fabularum auditione ducuntur.* Ait idem Romanus Orator *de fine. 5. 5.* Porro Prologus, qui in antiquis Libris Joannis Evangelio præfigitur, falso S. Hieronymo attribuitur.

Sic alleviari videntur qualescunque rationes adductæ pro opinione faventium S. Joanni privilegium reservatæ vitæ usque ad finem mundi. Quod tamen privilegium esse, Lyranus negat; eo quod Apostolus privaretur tamdiu visione beatifica. De quo, quid sit; receptæ communiter sententiæ familiaria argumenta equidem non apparent ineluctabilia. Siquidem primum ex verbis Domini satis probat Joannem nequaquam immortalem. Nihilominus bene consistunt ut ipse maneat in vita, donec Christus ad judicandum veniat, ut tunc moriatur; sicut in communi sententia, illi, qui tunc vivi reperiuntur, adveniente judice, subito moriuntur & resuscitabuntur. Urget quidem Baronius ab ipso S. Joanne satis refelli, quod tunc cum Henoch & Elia ab Anti-Christo non sit occidendus, dum in *Apocalyp. cap. 11.* nonnisi duos fore Christi adventus præcursores & testes aperte demonstrat. *Quid ergo tertium adducunt, querit Cardinalis, eumque volunt esse Joannem, cum ipse duos tantum futuros affirmet?* Sed responderi potest, non esse factam mentionem tertii. Id est, Joannis; quia jam significatum fuerat in fine capituli præcedentis illum temporibus postremis prædicaturum multis Gentibus &c. mox sequitur de Henoch & Elia. Neque verò adjungitur eis Joannes; quia alio fortè loco & tempore ab Anti-Christo occidendus

erit. Quantum ad reliquias de Joanne reservatas; quia per illas non semper intelliguntur ossa vel membra corporis; sed quandoque sepulchrum, pallium, crepidæ &c. hujusmodi superesse veneratione dignas, supponere videri posset Cælestinus Papa in *cit. Epist.* Sic de Tunica S. Joannis, Romam allata, & miraculis condecorata, legitur apud Joannem Diaconum in vita S. Gregorii Magni *Lib. 3. cap. 28. 57. & 58.* quanquam acceperat S. Pontifex à Joanne Abbate, ut indicant ejus literæ ad eundem Ab. *Lib. 2. in dict. 11. Epist. 3. cap. 42.* Quæ tertio loco adfertur ratio, non est adeo gravis, ut infirmari non possit. Nam Elias, necdum mortuus, 20. Julii solemnni officio colitur in Ecclesia; & Græci quidem diem Festum agunt ex Imperatoris Emauelis constitutione apud Theodorum Balsamonem in *Nomocan. Photii tit. 7. cap. 11.* Deque templo in honorem Eliæ constructo, & per Basilium Imperatorem restaurato legitur apud Cedrenum *Compend. histor.* Non ergo mirum, si Joannis Festum celebraretur in Paradiso extitisset, in quo, ex privilegio præter legem ornariam, in mortali corpore ejus anima frueretur beatitudine cum Henoch & Elia; & que ideo Ecclesia eos deprecatur: siquidem Deum vident & Ecclesiæ orationes; ut videtur sentire S. Hieronymus *Epist. ad Pamachium*, & opinantur Procopius, Gazæus, Augustinus Eugubinus, Salmeron, huicque inclinat Barradius. Ad quartum non debet quod æquè opportunè reponi possit, quomodo ad citationes Authorum passim fieri solet.

Alia insuper lis de Joanne agitur, an post mortem resurrexerit, & corpore in cælum assumptus fuerit. Plurimi id asseverant, ut testatur Author Sermonis de assumpt. B. M. V. qui Hieronymo, vel Sophronio supponitur Græci in suo Calendario diem 20. Septembris translationi S. Joannis Evangelistæ assignant. Eandem tradunt Isidorus *Lib. Etimol.* Ni-

Nicephorus *Lib. 1. hist. cap. 35.* Item *lib. 2. cap. 42.* Petrus Damiani *Serm. de S. Joan.* Thomas Aq. *1. part. q. 20. art. 3. ad 34.* Item *4. distinct. 43. ad 3. q. 1. ad 1.* Albertus Magnus *in Joan.* Petrus de Natalibus rem ordine promit. Nimirum, *Joannes cum esset annorum 89. secundum Isidorum 68. à Passione Domini anno, apparuit ei Christus cum discipulis aliis, qui jam omnes ad caelestia migraverant, eumque ad aeternas epulas invitavit. Igitur in subsequenti Dominica omni populo ad Ecclesiam veniente, quæ in ejus adhuc in carne agentis nomen fuerat fabricata, primo pullorum cantu usque ad sextam prædicavit isdem. Post hæc juxta altare foveam quadratam fieri jussit & terram extra Ecclesiam jactari, in quam B. Evangelista descendens, & passis manibus gratias Deo egit, & orationem devotissimam fudit, qua finita, tanta super eum lux emicuit, quod à nemine videri potuerit. Recedente lumine fovea repleta est manna, quod ibidem usque hodie generatur. &c.* Ex recentioribus Anastasium Joannis tuentur Eckius, Petrus Canisius, referens S. Ambrosium, qui tamen *Serm. 20. in Psalm. 118.* solum asserit, quosdam de morte Joannis dubitasse. *Serm. in Psalm. 45.* videtur nomen Joannis insertum cum nominibus Henoch & Elia. Operosè resurrectionem S. Joannis probare nititur eruditissimus Florentinus, cujus rationes refert & expendit Tillemontius *com. hist. Eccles. tom. 1. part. 3.* quæ, quoniam non sunt tam validæ, ut apud Apolectos plenam fidem faciant, historia extra dubitationem constitui non potest, quam Gregorius Turon. *De glor. Martyr. lib. 1. cap. 30.* suo adhuc tempore miraculum de eructante manna viguisse testetur. Posset proinde sine superstitionis periculo piè credi Joannem à morte corpore assump-

tum, quod Barradius cenfet probabile. Huc tamen parum facit Legendariorum auctoritas, quæ plerumque ex supposititia fabularum congerie sunt composita; unde Petrus de Natalibus suum Catalogum congesit: qui, cum multa parum testatæ veritatis contineat, & in non paucis nequidem verisimilitudinis ratio habita fuerit, fidem suam apud prudentiores decoxit. Nihilò secius ex Legendariis desumpta in quorundam extant Ordinum & Diocesarum Breviariis; qualia utique cenferi debent prolixiores Antiphonæ tertii Nocturni, quæ in officio S. Joannis remanserunt in Breviario Can. Reg. S. Crucis emendatius reimpresso an. 1727. Cæterum licet improbanda non sit eorum pia credulitas, qui idèò Joannem volunt corpore in cælum assumptum, quod nullæ de corpore extant reliquæ, sepulchrum vacuum repertum, & quæ sunt hujusmodi; qui tamen fidem suam adstringere detrectant, notam pertinaciæ non incurrent instructi per S. Augustinum *Lib. 2. de peccat. merit. scribentem. cap. 36.* Ubi de re

obscurissima disputatur non adjuvantibus Divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio nihilfaciens in alteram partem declinando.



CON-